Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 983
Quelle:
Copyright:

CCLXXIII. VIII. H. 13.

742 Codex membraneus lat. Sec. saltem X. Folior. 46. 8. minute exaratus et rubricis distinctus continet *Isidori Hispal. Libros II. de Ecclesiasticis Officiis*, quorum Inscriptio miniata vetustate deleta est. Initium ab Epistola: *Domino meo et dei seruo fulgentio episcopo ysidorus episcopus. Queris a me originem officiorum quorum magisterio in ecclesiis erudimur* &c. Elenchus *Capitum* L. I. qui sequitur, non parum etiam extritus est. Post illum *Incipit Prephatio. Ea quae in officiis ecclesiasticis celebrantur* &c. Et Caput I. *De Ecclesia Uel Uocabulo Christianorum. Primum a petro ecclesia in antiochia est fundata* &c. Finis Capitis ult. seu XLIV. *hoc enim nec saluator nec apostoli prohibuerunt. Explicit Liber Primus. Incipit Liber Secundus*, quem pariter Elenchus *Capitum* XXVI. praecedit. Itaque absunt a *Codice Capita* illa II. quae Editio *Breuliana Paris.* 1601. f. p. 614. adtexit. Initium Cap. I. est: *De Clericis. Itaque omnes qui in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt* &c. Finis ult. *cum tradant spiritum paraclitum.* Accedit sequens Peroratio, quam in Exemplis suis *Breulius* non habuit: *Haec sunt parua* (pauca?) *ex multis quae probabilium uirorum nouimus percepisse doctrinis. Quorumque eloquia proinde quibusdam in locis a nobis interesse* (interiecta?) *noscuntur ut sermo noster paternis sententiis firmaretur. Explicit Liber Sancti Isidori Officiorum Secundus.* Porrò praeter hanc qualemcunque συμβολὴν frequens lectionis deprehenditur diversitas, si editionem *supracit.* in consilium adhibeas, quod vel e primis Capitibus patet:

Codex C. I.	Editio.
derivativo vocabulo.	*derivato.*
uel quoniam catholica hoc est generalis.	*vel catholica quia universalis.*
de visibilibus atque inuisibilibus rebus.	*de visibilibus rebus.*
quam etiam qui principamur.	*quam etiam principatui subiectorum.*
curat omnium peccata.	*curat hominum peccata.*
C. III. *ante archam.*	*ante aram.*
C. IV. *primum inuexit.*	*primus inuexit.*
cum populo — egressus est.	*Israeliticus populus egressus est.*
Deest.	*Idem author — conscripsit.*

Non rara tamen etiam σφαλματα in *Cod.* occurrunt.

II. *fol.* 40. Tractatio brevis de *Baptismo* in Articulos XXII. divisa,